

decimo septimo, ubi hoc argumentum ex communione fidei
 petitum repetit Paulus: *εἰ ἐν ἐμοὶ ἔχετε κοινωνόν; si me habes com-*
municantem vel socium, in fide nempe Christiana, quam chari-
 tatis officia indivulso nexu comitantur, *suscipe illum, sicut me.*
 Quo pacto ἡ κοινωνία τῆς πίστεως, *communio fidei*, nihil aliud
 erit, quam ἡ κοινὴ πίστις, *communis fides*, quæ inter Paulum &
 Titum intercedebat, Tit. I, 4. Itaque rotunde Oecumenius:
ἡ κοινὴ πίστις ἔστιν κοινωνία, communis fides est omnia communis
faciens. Qui enim communem habent fidem, in communia
 quoque opera eandem effundunt. Non multum ab hac senten-
 tia distat ea, quæ vocem *κοινωνίας* active accipit pro commu-
 nicatione seu collatione. Ita Theophylactus: *Ute communi-*
cans tua, facileque impartiens mens ac sententia nunquam cesset,
sed omne potius bonum, quod in vobis est, effundas in egentes.
 Quam opinionem & amplectitur D. Seb. Schmidius. Verun-
 tamen cum prior illa pluribus nitatur rationibus, non est, cur
 eandem deseramus. Hanc communem inter ipsos fidem optat
 Paulus efficacem, *actuosam*, vivam, Gal. V, 6. magis magisque,
 (id enim subintelligendum est, cum jam antea fidem charita-
 temque, quæ est ipsa fides operosa, in Philemone laudaverit
 Paulus) reddatur. Idque ἐν ἐπιγνώσει πάντων ἀγαθῶν, *in co-*
gnitione omnis boni. Pelagius, qui sub Hieronymi nomine an-
 tea superbiebat, de notitia operum charitatis, ad alios dima-
 nante, intelligit: *Omnes Sanctos diligis, in tantum, ut omnes*
boni nostrorum in Christo evidenter Te fidelem esse cognoscant.
 Eodem modo Grotius, qui illud Apostoli jubet conferre: *osten-*
de mihi fidem ex operibus tuis. Jac. II, 18. Itemque Thomas Aquī-
 nas & ex eo Estius. Non puto, quenquam hunc sensum ex
 verbis, nisi præoccupatum, haurire posse, adeo litera eundem
 intellectui legentis invita insinuat. D. Lucas Osiander de agni-
 tione divinorum beneficiorum; Philemoni præcepta, exaudit:
ut magis magisque grata mente agnoscas omnia illa bona spiritua-
lia, quæ per Christum nobis divinitus donantur. Ver-
 rum enim ἐπιγνώσις τῶν ἀγαθῶν etiam alibi S. literarum de ve-
 ra & ad normam Divini verbi exacta notitia usurpetur, ego qui-